Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

secundum uoluntatem. et sine omni indigentia. Hec ergo cum illis hoc modo. bona quidem et magna eis non satis esse uidentur. Sed quia non intelligunt quod in ipsa uita eterna habituri sint! nec subito quod sit omnium commodorum secundum uoluntatem sufficientia. et sine omni indigentia perpere possunt/ herere animo. nec multum efficaci ad audita sapore trahuntur. Quid ergo agendum ut hec illis aliquatenus sapiant. et sic ad opera bona euigilent. Puerorum more cibandos existimo. qui si quando grossum aliquid pomum edendum percipiunt. illud ob dentium teneritudinem. et oris angustiam absumere nequeunt. si pro illorum capacitate primo non fuerit particulatim diuisum. Itaque diuidamus in partes magna que diximus. ut inde possint ad uitam nutriri de quibus agimus. Que ut melius ducatur. consideremus que in hac uita mens amet humana! ut ex his prout possumus conicientes. ea multo excellentius eos habituros in uita profutura. siquidem uiri mundana temptationum pericula constituti. dominica fuerint precepta secuti! atque cum ipsa illic adepti fuerint. plenitudine desiderii sui se nequaquam fraudatos percipient. Hec inquam faciamus! et animimus ad maiora paulatim progrediamur. Ecce ut primo que ad corpus attinent bona succincte enumeremus! ista ut estimo sunt que propter se. et propter que alia queque ab hominibus appetuntur.

Pulchritudo. Pulchritudo. uelocitas. fortitudo. libertas. sanitas. uoluptas. diuturnitas uite. Si autem in his aliquando sunt. que aliquando serui dei non modo appetunt. sed etiam magnopere in hac uita curare subterfugiunt! ut sunt uerbi gratia pulchritudo corporis. atque uoluptas. utique non idcirco id faciunt quod ea naturaliter nolunt! sed ne dum in eis quoquomodo offendant. Nam si per ea nil offensionis inde contrahi posse certe sentirent. uel se ab amore eternorum impediri non pertimescerent! profecto iocundius in ipsis quam in eorum contrariis sese deducerent. His ita prelibatis. singula que proposuimus breuiter hactenus! et qualiter illis post corporum nostrorum resurrectionem perfruemur. prout dominus dederit explicemus. Itaque pulchritudo bonum quoddam est. et quod naturaliter a cunctis haberi amatur. In illa ergo uita pulchritudo iustorum solis pulchritudini. qui septempliciter quam nunc